



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XIV. De Converso, qui tempore gravißimæ tentationis viriliter egit,
ne vinceretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

SU sincerè dilexit. Quapropter vos dilectos Fratres qui Monasterium B. MEINULPHI pro tempore inhabitatis, quod possum, deprecor & exoro, ut cum idem Frater carnis sarcinam deposuerit, pro eo in orationibus vestris maximè circa sacri Altaris sacrificium Dominum DEUM humiliter exoretis,

C A P U T XIV.

De Converso, qui tempore gravissimæ tentationis viriliter egit, ne vinceretur.

Fuit & alius Conversus unus de primis Reformatoribus supradicti Monasterij nomine Godfridus, qui licet multis virtutibus adornatus exstiterit, singulariter tamen continentiae deditus, ea, quæ animum ejus ad carnis molliem impellere videbantur, sapienter declinavit. Contigit namque circa prædictæ reformationis initium, dum adhuc pulcherrimæ mulierculæ vicinia ejusdem Monasterij occuparent suis mansionibus, prædictum Conversum porcos in silvam ad pascendum ducere; & ecce lasciva quædam Fœmina, ut deciperet ac ad lapsum eundem involveret, ipsum sequebatur pedetentim, quæ dum dicto Converso in silva propinquaret, incitamenta, quibus ad carnis copulam incitaret, fecerat manifesta. Sed pius Dominus, qui sanctum Joseph ab impudica muliere impollutum custodivit, & hunc dilectum ejus Famulum ab immunditiæ laqueis magnificè præservavit; nam validus strepitus, ac si lupo ad devorandum inter pecus foret, audiebatur, quem strepitum dum Conversus animadverit, violento cursu, ne malum carnis incideret, fugam inivit. Sicque seductrix mulier spe sua, quam conceperat, defraudata laudabilem fugitivum cum propria confusione dereliquit.



CAPUT